

rem, quatenus doctrinæ munditie continetur, vehementer obscuratum fuisse liquet.

§. XV. Sed & perpetuitas ad sanctimoniam, nitoremque in *moribus* extendi non debet. Etsi enim prioribus saltem a C.N. seculis magno studio severior custodita est disciplina, coeperunt tamen seculo jam jam III. mores Christianorum corrupti, & ad deterius vergere. In luxum, ac proterviam seminarum graviter detonat *Tertullianus*, *de cultu feminarum*, *de velandis virginibus*, *de pudicitia*, & alias. Nec leviter de corruptelis morum queritur *Cyprianus Epist. VI. f. 15.* ed. Rigalt. *Quædam*, inquit, *audio inficere numerum vestrum*, & laudem præcipui nominis prava sua conversatione destruere. -- *Cum quanto nominis vestri pudore delinquitur*, quando *alius ab aquis temulentus*, & *lasciviens demoratur*: *alius in eam patriam*, unde extorris factus est, regreditur, ut *deprehensus non quasi Christianus*, sed *quasi nocens pereat*. *Inflari aliquos, ac tumere audio*. -- *Quid deinde illud, non deesse, qui Dei templa, & post confessionem sanctificata, & illustrata membra turpi, & infami concubitu suo plus maculent, cubilia sua cum feminis promissa*: quando & *sistuprum conscientiae eorum desit, hoc ipse grande crimen est*, *quod illorum scandalo in aliorum ruinæ exempla nascuntur &c.* Eusebius autem Cæsariensis *cap. I. L. VIH.* mores Christianorum sub finem seculi III. eo usque contaminatos fuisse scribit, ut manifestam Numinis ultionem, & horribilem illam sub Diocletiano vexationem post se traxerint: *Cum ex nimia, inquit, libertate in negligentiam ac desidiam prolapsi essemus*; *cum alter alteri invidere atque obtretare cœpisset*; *cum inter nos quasibella intestina gereremus, verbis, tanquam armis quibusdam, hastisque, nos mutuo vulnerantes*; *cum Antistites adversus Antistites*; *populi in populos collisi, jurgia ac tumultus agitarent*; *denique cum fraus & simula-*

*tio*